

Canford.
Chalcant
thum.
Alumen.
Th. Wal-
sing 1317.

Cranbora.

Viceco-
mes
Cranborn.
1604.

Dorsettiæ
Comites,
& Mar-
chiones.
Vita Oe-
mundi
m. f.

claræ & antiquæ equestri familia de *Asteley*, & *Vickhamton* patrimonium olim Baronum de *Maltravers*, quorum ultimus, regnante Edwardo III, duas solummodo reliquit filias, alteram enuptam Ioanni de *Arundell* avo Ioannis Comitis *Arundelia*, qui reliquit posteris titulum Baronum de *Maltravers*, alteram uxorem Roberti *Le-Rous*, & postea Ioannis *Keynes* Equitis aurati. Hinc *Stourus Canford* præterit, sub qua non ita pridem *Iacobus Baro de Montroy* res metallicæ admodum studiosus *Chalcantum*, quod *Coperas* vocamus, conficere & alumen concoquere cœpit. E qua etiam olim *Ioannes Comes Warrenniæ Aliciam Lacy Thomæ Comitis Lancastrensis uxorem*, magno cum famæ dispendio, & Angliæ incommodo, (ut in nostris Annalibus videre est) quasi per vim rapuit, & abduxit. Iam *Durotriges* relinquit *Stourus*, & *Hantonensis* agri nonnihil permenfus, in Oceano tandem hospitatur. Cum tamen primum suscepit rivulum qui ad *Cranborne* aquis irriguum profuit, ubi anno Salutis DCCCCXXX, vir nobilis *Æilwardus* cognomine *Meau* ob albedinem, monasterium posuit; quod *Theokesburiam* uno & altero monacho hic relicto, transtulit *Robertus Fitz-Haimon* Normannus, cui *Ailwardi* possessiones obtigerunt. A quo successione serie per *Claros* *Glocestriæ*, & *Burgos* *Ultoniæ* Comites ad *Leonellum Clarentiæ Ducem*, & per eum in patrimonium Regium devenerunt. Nunc autem *Cranborn* Vicecomitem habet *Robertum Cecilium*, quem *Rex Iacobus* primum honore *Baronis Cecili de Esjendon*, & anno insequenti *Vicecomitis de Cranborn* ob spectatissimam prudentiam merito honoravit.

Quod ad hujus regionis Comites & Marchiones spectat, *Guilielmus Normannus*, cum jam imperii in Angliâ potitus esset, *Osmundum*, qui *Sagiensis* erat in *Normannia* Comes, tum *Sariburiensem Episcopum*, tum primum *Dorsettiæ Comitem Cancellariumque* sibi constituit, piam hominis prudentiam & egregias artes admiratus. Longo post tempore *Rex Richardus Secundus* anno regni sui primo & vicesimo *Ioan-*

nem de *Beaufort*, *Ioannis Gandavenis filium* *Somerfetti Comitem* in *Dorsettiæ Marchionem* evexit, qua dignitate *Rex Henricus Quartus*, in odium *Richardii II*, illum exiit. Cumque in *Comitiis Parliamentariis* *Communitas Angliæ*, cui erat *percharus*, obnixè intercederet ut *Marchionis dignitas* illi restitueretur; ipse novum hunc, & ante illa tempora inauditum titulum averfatus, omnino abnuvit. Fraterque ejus natu minor nomine *Thomas de Beaufort* *Comes Dorsettiæ* fuit creatus, qui postea ob virtutem bellicam ab *Henrico Quinto* titulo *Ducis Exoniæ*, & *Comitatu Harcourt*, adornatus; *Harflevum* enim *Normanniæ* fortiter contra *Gallos* propugnavit, & *Comitem Armeniacum* collatis lignis animose fudit. Post ejus sine prole obitum, *Henricus VI*, *Edmundum* ex eadem *Lancastrensi* familia, primum *Comitem*, deinde *Marchionem Dorsettiæ*, tandemque *Ducem Somerfetti* dixit, cuius filiis bello intestino sublatis, *Edwardus III*, cum jam *Lancastrensis* familia quasi prostrata, *Thomam Greium* ex familia *Ruthiniensi*, qui gener ejus (*Grei* enim matrem *Rex* duxerat) *Dorsettiæ Marchionem* creavit, cum amplissimam *Bonvillorum* hæreditatem jure uxorio in hoc agro & vicinis crevisset. Hunc sequuti sunt eodem honore *Thomas filius*, & *Henricus* è *Thoma nepos*, qui etiam *Dux Suffolciæ* ab *Edwardo Sexto* creatus, cum *Franciscam Caroli Brandoni Suffolciensis Ducis filiam*, & *Regis Henrici Octavi* è sorore neptim duxisset. Hic sub *Maria Regina* ob læsam majestatem supplicio affectus sero didicit, quanti sit periculi in *Regiam familiam* nuptiis inferi, & in se aliisque spem fovere ambitiosam. *Dorsettiæ* titulus jam inde nulli delatus, donec *Iacobus Rex* primis regni auspiciis, ut vera virtus & susceptus pro *Repub. labor* honore & splendore decoraretur, *Thomam Sackvill* *Baronem de Buckhurst* summum *Angliæ Theaurarium*, virum summa prudentia, & diligentia accuratissima, honore *Comitis Dorsettiæ* amplificaverit.

Vide Du-
ces So-
merfetti.

1553.

Hic Comitatus Parœcias 248 numerat.

